

Ad Eminentissimum & Reverendissimum
P R I N C I P E M
JOSEPHUM FIRRAO

S. R. E. CARD. AMPLISS., ET SS. D. N. CLEMENTIS XII.
NEGOCIORUM STATUS A SECRETIS.

A U C T O R



ERERER equidem, Princeps Eminentissime,
ne tuam incurrerem indignationem, si
hanc Sextam mearum in re theologica
Dissertationum partem Tibi nuncupans,
vellem, ut de more fit, panegyrim pro
epistola contexere, eanque nomini tuo
inscribere, ut in lapidibus s^epe accidit,
qui pro hoc solo Patronis a Clientibus ut plurimum dedi-
cantur. Et eo magis accideret hoc mihi, si laudes tuas
enumerans, ab illis sumerem exordium, quæ a Gentis
claritate, a domi opulentia, a Majorum principatu, quod
quoque in usu venit, provenirent. Altius quoque peri-
culum mihi fieret, si ad labores tuos pro Apostolica Se-
de, ad studia in muniberis obeundis, ad virtutes, qui-
bus vitam, & regimen tot annorum composuisti, des-
cendens, Te ipsum Tibi commemorarem, non qualem Tu
fecisti, aptum scilicet solummodo ad merendum, sed
qualem vox publica prædicavit, idoneum quoque vide-
licet ad obtinendum.